

Cap. unic. *Infidelis*.—Publicatur excommunicatio lata in eos, qui furati fuerant thesaurum Ecclesiae asservatum in sacrario monasterii S. Fridiani Lucanae civitatis.— \* Hic habetur modus publicandae excommunicationis. "

## TIT. XIX.—DE USURIS.

Cap. 1. *Plures*.—Usura est lucrificare fructus rei pignoratæ. Fal- lit quando aliter res Ecclesiae usurpata redimi nequit.

2. *Quoniam*.—Summa, ut supra.

3. *Quia*.—Manifesti usurarii ad communionem altaris, sepulturam et oblationem offerendam admitti nequeunt, et Clerici contrafacientes puniuntur.— \* Pœna suspensionis ab officio, de qua in textu juxtâ ve- riorem sententiam incurritur tantum per admissionem ad sepulturam et dictas oblationes, duratur arbitrio Episcopi. Sed oblatio pro missa celebranda vel eleemosyna facienda non est prohibita, si usurarius ha- beat aliunde ad integraliter restituendas usuras. Thes. verb. *Usura* cap. 1. et 3. Vide ampliacionem Elencho I. n. 63. "

4. *Super eo*.—Non licet inducere quemquam ad exercendum usu- ras, etiam proprio opere.

5. *Cum tu*.—Usurarii, qui sunt solvendo, coguntur per pœnas Conc. Later. (cap. *Quia* 3. supra) usuras restituere, etiam quas ante d. Conc. receperunt; et facultatibus non extantibus debent possessiones emptæ ex usuris vendi et restitui pretium iis, quibus usuræ sunt extortæ.

6. *In civitate*.—Vendens rem plus quàm valet, quia solutionem differt, peccat, nisi dubium sit, an tempore solutionis erit valor rei va- riatus, et venditor non erat venditurus tempore, quo vendidit.— \* Quo- ad l. partem concordat proscriptio contrariæ sententiæ facta ab In- noc. XI. Proposit. 4l. "

7. *Præterea*.—Clericus usurarius monitus non desistens, ab officio et beneficio suspenditur; laicus excommunicatur.

8. *Conquestus*.—Fructus rei pignoratæ computari debent in sortem: secus quando res usurpata aliter redimi nequit.

9. *Tua nos*.—Hæres usurarii, filius, vel extraneus usuras extortas à defuncto restituere compellitur.

10. *Consuluit*.—Mutuans ea mente, ut ultra sortem aliquid recipiat, tenetur in foro animæ restituere, si aliquid consequutus est. Idem in eo, qui non aliter promittit se daturum, nisi aliquid inde recipiat. Et idem in vendente rem plus quàm valeat, quia differt solutionem.— \* Vide notata supra cap. 6. "

U. Joann. XXII.

1 Alex. III. in Conc. Turon.

2 Id. Cant. Arch. et Suffrag.

3 Conc. Later. sub Alex. III.

4 Alex. III. Panorm. Arch.

5 Id. Salernit. Arch.

6 Id. Januen. Arch.

7 Idem.

8 Id. Abb. et Fratr. S. Laurent.

9 Idem Ep. Placent.

10 Urb. III. Prix. Presb.

11. *Quàm perniciosum*.—Manifestus usurarius appellans ad subter- fugiendum restitutionem, audiendus non est.

12. *Post miserabilem*.—Per subtractionem communionis christiano- rum, et per Principes sæculares cogendi sunt judæi ad usuras resti- tuendas.

13. *Tuas*.—Non obstante juramento de non repetendis usuris per debitorem præstito, potest judex ex officio usurarios ad eas restituen- das compellere.

14. *Quia*.—Non auditur usurarius repetens usuras, nisi prius res- tituat extortas.

15. *Cum in diocesi*.—Convictus de usura per famam et alia argu- menta, potest manifestari usurarius, et tanquam manifestè talis com- pesci juxta cap. *Quia* 3. supra.

16. *Salubriter*.—Maritus recipiens pignus pro dote promissa, non tenetur fructus in sortem computare.

17. *Michael*.—Summa, ut cap. 14. supra.

18. *Quanta*.—Etiam judæi compellendi sunt ad restituendas usu- ras extortas à christianis, et ad solvendas decimas vel oblationes de eorum possessionibus sub pœna privationis commercii cum christia- nis, qui compelli possunt per censuram, ne in hoc casu cum iis com- municent.— \* Quoad possessionem bonorum immobilium, vide notata in cap. *Multorum* 2. de Judæis. "

19. *Naviganti*.—Usurarius est, qui à debitore recipit aliquid ultra sortem, etiamsi suscipiat in se periculum. Non est usurarius emptor rei minùs justo pretio, si tunc verisimiliter dubitetur, an tempore so- lutionis plus vel minus sit res valitura. Propter dubium excusatur is, qui ex eo, quod differt solutionem pretii, vendit rem plus, quàm va- leat, si non erat eam aliàs venditurus.

IN SEXTO.—Ibì tit. V.

Cap. 1. *Usurarum*.—Innovat et observari præcipit cap. *Quia* 3. su- præ in Greg. contra usurarios. Præcipit omnibus Dominis et Universi- tatibus terrarum, ne permittant alienigenas in terris suis conducere domos ad exercendum fœnus, vel conductas habere, et quòd aliquis eis ad hoc domos non locet. Imponit pœnam Clericis et laicis contra- facientibus.

2. *Quamquam*.—Manifestis usurariis, licèt manderint usuras res- titui, Ecclesiastica sepultura negabitur, nisi primò satisfiat, vel se- cundum formam hujus decreti indoneè caveatur. Sepelientes eos contra hanc constitutionem, Lateranen. Concil. (cap. *Quia* 3. supra) pœnam incurrunt. Testamenta ipsorum aliter facta non valent, nec

11 Inn. III. Arch. et Prael. Franc.

12 Id. Narb. Arch. etc.

13 Idem Mutinen. Ep.

14 Idem.

15 Id. Altissiod. Ep.

16 Id. Elect. V. de Octon.

17 Idem Ep. Bonon.

18 Id. in Conc. Later.

19 Greg. IX.

1 Greg. X. in Conc. Lugd.

2 Idem.

debet eis aliquis interesse, vel eos absolvere, vel ad confessionem admittere.

IN CLEMENTINIS.—Ibì tit. V.

Cap. unic. *Ex gravi*.—Officiales Communitatum facientes, dictantes vel scribentes statuta super usuris solvendis, non repetendis vel non restituendis, vel iudicantes secundum illa, vel non delentes illa (si possunt) intra tres menses de libris Communitatum, vel illa servant excommunicati sunt.—Feneratorum in causis usurarum edere coguntur liberos rationum suarum.—Pertinaciter asserens, exercere usuras non esse peccatum, hæreticus est.

TIT. XX.—DE CRIMINE FALSI.

Cap. 1. *Falsidicus*.—Falsus est non solum qui mendacium dicit, sed qui veritatem occultat, quando rogatus et accitus est eam manifestare.

2. *Super eo*.—Sententia lata per falsas litteras non debet executioni mandari.

3. *Ad audientiam*.—Clericus falsans sigillum Principis, deponitur. Item ei character imprimitur et in exilium mittitur.— \* Id est *Littera F.*, quæ est prima nominis *Falsarii*, quod pœnæ genus apud veteres valdè usitatum erat. "

4. *Dum*.—Existens in Curia litteras Apostolicas non recipiat, nisi de manibus Papæ et Officialium ab ipso deputatorum; personæ tamen solemnes per nuncios recipere poterunt, de manibus tamen prædictorum. Contrafaciens, si laicus est, excommunicationi subjacet; si Clericus, ab officio et beneficio deponitur.— \* Hæc prohibitio et pœna hodie abiit in desuetudinem; Thes. de Pœn. Verb. *Falsum* cap. 6. " —Per excommunicationis pœnam Papæ reservatam providet contra non resignantes, nec destruentes litteras falsas intra 20 dies, et contra factum non tenet.

5. *Licet*.—Ponit novem modos falsandi litteras Papales.

6. *Quàm gravi*.—Falsæ sunt litteræ Papales, in quibus Episcopus vocatur filius, vel inferior frater, vel uni scribitur in plurali.

7. *Ad falsariorum*.—Qui per se vel per alios litteras Papæ falsant, excommunicati sunt, cum suis fautoribus et Clerici officiis et beneficiis privati sunt, et degradandi et tradendi curiæ sæculari, per quam laicus legitimè punitur. Qui verò falsis litteris utitur, si Clericus est, officio et beneficio privatur, si laicus excommunicatus est.— \* Hodie excommunicatio est Papæ reservata quoad falsantes, non quoad co-

U. Clem. V. in Conc. Vien.

1 Ex D. Isid.

2 Luc. III. Vigorien. Ep.

3 Urb. III.

4 Inn. III. Wido. Rhemen. Arch. S.

Sabinæ Card. et Suffrag.

5 Inn. III. N. Archid. N. Arch. et

Can. Mediol.

6 Id. Antibar. Ep.

7 Idem.

operantes et utentes ex Bulla *Cœne* §. 6.—Ex Const. Innoc. X. *In supremo* 8 April. 1653. statuitur:—1.º Ut super hoc crimine procedatur sicut super atrocissimis.—2.º Ut dicti criminis rei incurrant etiam ipso facto confiscationem omnium bonorum, devolutionem jurisdictionalium, feudaliū, emphyteuticorum et privationem omnium officiorum etiam titulo oneroso collatorum.—3.º Ut comprehendantur rei omnes eujuscumque gradus etiam speciali nota digni.—4.º Ut hæc pœnæ procedant nedum contra falsantes dictas litteras sub plumbo vel forma Brevis sub annulo piscatoris, sed et contra falsarios supplicationum, cedularum motus proprii ac mandatorum de expediendo manu Papæ, vel per concessum ab officialibus signatorum, licet de iis litteræ nullæ in forma Brevis vel plumbi expediantur, neque consueverint expediri.—5.º Ut procedant contra falsantes quascumque concessionem subscriptas à Papa vel officialibus, super quibus litteræ expediri solent in forma Brevis vel sub plumbo.—6.º Item falsantes datas appositas ab officialibus in dictis concessionibus.—7.º Falsantes registra dictarum concessionum et litterarum originalia.—8.º Tandem falsificationem mandantes, complices, mediatores, auxiliares et fautores. "

8. *Accedens*.—Non præsumitur quis falsare litteras de simplici iustitia, nec punitur, si hoc comperto, destiterit illis uti.

9. *Ex conscientia*.—Propter paucarum litterarum rasuram in loco non suspecto rescriptum non probatur falsum.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANN. XXII.—Ibì tit. X.

Cap. unic. *Prodiens*.—Falsificantes monetam Regis Franciæ et aliorum locorum circumvicinorum aliquo de quatuor modis in textu declaratis, ipso facto excommunicationem Papæ reservatam incurrunt.— \* Vide cap. *Ad audientiam* 3. suprâ. "

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibì tit. VI.

Cap. unic. *Spondent*.—Alchimia prohibetur, et puniuntur facientes et fieri procurantes, et infames fiunt. Et si sint Clerici, beneficiis privantur, et ad habenda inhabiles efficiuntur.— \* Vide cap. *Prodiens* suprâ. "

TIT. XXI.—DE SORTILEGIIS

Cap. 1. *In tabulis*.—Sortilegia pro furtis inveniendis vel divinationibus faciendis prohibentur: et contrafaciens pœniteat quadraginta dies.

2. *Ex tuarum*.—Presbyter, qui per inspectionem astrolabii furta requirit, ad tempus suspenditur ab altaris ministerio.

3. *Ecclesia*.—Electio Ecclesiastica per sortes fieri non debet, nec electiones compromissariorum.

8 Idem.

9 Idem Ep. Roffen. etc.

U. Joan. XXII.

U. Idem.

1 Ex Poenit. Theod.

2 Alex. III. Praden. Patr.

3 Honor. III. Capit. Lucan.

## TIT. XXII.—DE COLLUSIONE DETEGENDA.

Cap. 1. *Scripta*.—Accusatore desistente ab accusatione, potest iudex ex officio inquirere super crimine illato.

2. *Crimina*.—Desistente accusatore et accusato, Iudex prosequitur.

3. *Audivimus*.—Colludens in causa beneficiali, privari debet beneficio.

4. *In tantum*.—Absolutio de criminibus illatis per collusionem facta non impedit facultatem iterum accusandi et inquirendi de illis criminibus.

## TIT. XXIII.—DE DELICTIS PUERORUM.

Cap. 1. *Pueris*.—Impuberes præter vitium carnis delinquere possunt: puniuntur tamen mitius, quam adulti.

2. *Referente*.—Puer non debet ita severe puniri sicut major: nec pater ex delicto filii impuberis tenetur.

## TIT. XXIV.—DE CLERICO VENATORE

Cap. 1. *Episcopum*.—Clerico prohibetur venatio; et pœna imponitur.—In textu prohibitio extenditur tantum ad Episcopos, Presbyteros et Diaconos, sed ex cap. seq. et Trid. sess. 24. cap. 12. verbo *Vestitu* de ref. extenditur ad omnes Clericos. Cum autem duo sint genera venationum, una clamorosa, altera quieta, communior sententia est, ut clamorosa tantum sit interdicta, quamvis contraria sit iuri conformior. Sub qua verò pœna, reliquendum videtur arbitrio Episcopi ex deductis à Bened. XIV. de synod. Diœc. edit. an. 1755. lib. 11. cap. 10. n. 8. et 9. "

2. *Omnibus*.—Summa ut supra.

## TIT. XXV.—DE CLERICO PERCUSSORE.

Cap. 1. *Si quis*.—Si constitutus in sacro Ordine percussor extiterit, et monitus non se emendaverit, deponendus est.

2. *Præterea*.—Duobus mensibus à missarum administratione suspenditur Episcopus, qui crudeliter aliquem fustigari facit.—Fustigatio abiit in desuetudinem. "

1 D. Greg. Univer. Ep. Corith.

2 Idem.

3 Alex. III. Noric. Ep.

4 Greg. IX. Baren. Arch. et Fratr. Joseph Monac. Florent.

1 D. Greg. Aug. Angl. Ep.

2 Alex. III. Hermon. Ep.

1 Ex Conc. Melden.

2 Ex Syn. Francica.

1 Ex Conc. Agathen.

2 D. Greg. Andr. Ep. Favent.

3. *Præsentium*.—Non punitur Clericus, ut homicida, si fuit ipse in conflictu pro parte violentiam repellentium, licet ibi aliqui mortui sint, et ipse lapides projecit, sed nullum percussit.

4. *Continentia*.—Clericus, qui fuit in conflictu, ubi aliqui fuerunt occisi sine ejus facto vel consilio, de jure communi promoveri potest.

## TIT. XXVI.—DE MALEDICIS.

Cap. 1. *Innotuit*.—Maledicens Papæ puniendus est.—Ex Constit. Sixti V. *Romani*, libellos famosos retinentes, facientes, dictantes in statu Ecclesiæ gravibus pœnis sunt puniendi, et bonorum confiscatione, et aliquando ultimo supplicio.—Ex Constit. Adriani IV. *Ex alto* dictos libellos edentes, retinentes, vel publicantes contra Ordines Prædicatorum et Minorum incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam. Item impugnantes Institutum et Constitutionem Societatis Jesu ex Constit. Gregor. XIII. *Ascendente*. "

2. *Statuimus*.—Hic punitur pœna blasphemantis Deum vel aliquem sanctum, et maximè B. Virginem.—Hæc pœna præter mulctam erat, ut septem diebus Dominicis staret præ foribus Ecclesiæ sine pallio et calceamentis, cum fune circa collum, et septem sextis feriis jejunaret. Huic accessit Constit. Leonis X. in Conc. Later. *Supernæ*, ac Julii II. *In multis*, et tandem S. Pii V. Constit. *Cum primum* 1 Apr. 1566, innovantis dictam Leonis Const. et decernentis §. *Ad absolvendum* blasphemantem nomen Jesu vel Virginis prima vice (intellige punitionis) condemnandum esse pœna viginti quinque ducatorum; secunda quinquaginta; tertia centum et exilio. Si solvere non possit, prima vice constituendum per diem integrum ante fores Ecclesiæ manibus post tergum ligatis; secunda flagellandum per urbem; tertia linguam ei perforandam et ad triremes mittendum. Si blasphemus est Clericus beneficiatus, prima vice privandum esse fructibus unius anni omnium beneficiorum; secunda ipsis beneficiis; tertia omnibus etiam dignitatibus exutum deponendum et in exilium mittendum. Si nullum habet beneficium, prima vice mulctandum esse pœna pecuniaria vel corporali; secunda carcerandum; tertia verbaliter degradandum et ad triremes mittendum. Blasphemantes sanctos pro qualitate blasphemæ et personarum, arbitrio Judicis puniendos esse.—Ab his pœnis non excusat minor ætas, dummodò blasphemans sit doli capax: et Ursay Instit. criminal. lib. 3. tit. 1. n. 24. refert edictum Innoc. XI. 29 Maji 1630. statuens ad hunc effectum haberi pro majori, qui annum vigesimum excedit.—De jure civili erat pœna ultimi supplicii §. *Quoniam*, Auth. *Ut non luxurientur*; sed hodie recessit ab aula. Ursay loc. cit. 22. "

3 Alex. III. Lucen. Ep.

4 Cælest. III.

1 Clem. III.

2 Greg. IX.

TIT. XXVII.—DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO  
MINISTRANTE.

- Cap. 1. *Si quis*.—Clericus depositus celebrans excommunicatur.
2. *Si quis*.—Degradatus vel suspensus celebrans, et monitus non desistens, excommunicatur: et si nec sic desistat, per sæcularem potestatem ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur.
3. *Clerici*.—Interdictus et excommunicatus celebrans, monitus non desistens, deponitur.—Olim hæc pœna erat latæ sententiæ, sed hodie est ferendæ: Sayro lib. 2. cap. 15. n. 7. "
4. *Latores*.—Excommunicati vel interdicti celebrantes deponi debent, et fiunt irregulares.
5. *Illud*.—Celebrans post notitiam excommunicationis per solam famam debet de rigore deponi, licet cum eo possit dispensari.
6. *Fraternitati*.—Summa, ut cap. 1. suprâ.
7. *Postulasti*.—Collatio beneficii excommunicato facta non tenet: et scienter talibus conferens à beneficiorum collatione suspenditur.—Celebrans in loco interdicto, si est Clericus sæcularis, beneficiis privatur; si monachus, in arctius monasterium detruditur.
8. *Proposuit*.—Valet collatio beneficii facta absoluto ab excommunicatione tempore collationis.
9. *Apostolica*.—Suspensus vel excommunicatus ignoranter celebrando irregularitatem non incurrunt: secus si ignorantia fuit crassa vel supina.
10. *Si celebrat*.—Excommunicatus minori celebrans, non est irregularis, sed peccat, et potest eligere, ac ea, quæ sunt jurisdictionis, exercere; non autem eligi: et si confert sacramenta, licet peccet, collatio est valida.

## TIT. XXVIII.—DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

Cap. 1. *Si quis*.—Clericus exercens Ordinem, quem non habet, deponendus est, et ampliùs non ordinandus.—Si sacramentaliter absolvat, ex Constit. Gregor. XIII. *Officii*, potest in eum procedi ut suspectum de hæresi: et si crimen est notorium de jure, vel de facto, ex Const. Clem. VIII. *Etsi alias* est degradandus et tradendus Curix

1 Ex Can. 28. Apost.  
2 Ex Conc. Ant.  
3 Alex. III. London. Ep.  
4 Id. Tolet. Arch.  
5 Id. Capit. Herbipol.  
6 Id. Bisunt. Arch.  
7 Idem majori Dec. et Priori Colon.

8 Idem. Dec. et Subdec. Pict. et Mag.  
P. Delongovado Canon. Picta-  
goric.  
9 Greg. IX. J. et J. Canon. Prag.  
10 Idem.  
1 Hormisd. Papa.

sæculari etiamsi sit minori 25 annis, major tamen 20 ex Constit. Urban. VIII. *Apostolatus* Thes. verb. *Absolutio* cap. 1. "

2. *Ex literis*.—Diaconus Missam celebrans, ad Sacerdotium non promovetur et à Diaconatu suspenditur ad tempus; sed in beneficio poterit ad tempus dispensari.—Vide Addit. meas lib. 5. tit. 28. num. 220. "

## TIT. XXIX.—DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

Cap. unic. *Tua*.—Qui ignoranter per saltum de subdiacono fit Presbyter, post pœnitentiam in Diaconum ordinatur, et potest pro Sacerdotio dispensari ab Episcopo.—Etiamsi scienter promotus fuerit, et casus sit publicus, ut sentit Thes. verbo *Ordo* cap. 13: si tamen ministraverit, solus Papa dispensare potest propter irregularitatem. Vide Trid. sess. 23. cap. 14. de ref. "

## TIT. XXX.—DE EO, QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT.

Cap. 1. *Veniens*.—Qui furtivè (id est sine scientia et examine sui Episcopi) recepit Ordinem, si contra hoc facientes lata erat excommunicatio, sine dispensatione Papæ in sic suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere non potest: sed si excommunicatio lata non erat, Episcopus et Abbas poterunt dispensare.—Hodie ex pontificali Rom. reformato à Clem. VIII, excommunicatio concepta est verbis ferendæ sententiæ; ideoque secundum magis communem dispensare potest Episcopus. Vide addit. lib. 1. tit. 12. "

2. *Cum H*.—Summa, ut suprâ.
3. *Innotuit*.—Summa, ut suprâ.

## TIT. XXXI.—DE EXCESIBUS PRÆLATORUM ET SUBDITORUM.

Cap. 1. *Pervenit*.—Monet Prelatos abstinere à gravaminibus subditorum, et aliqua enumerat, et geminatam pœnam imponit contrafacientibus.

2. *Ad hæc*.—Non potest Episcopus sine causa Ecclesiam alteri subiectam ab illius subjectione et obsequio liberare.

3. *Ad aures*.—Habens collationem beneficii, illud non potest sibi conferre.

4. *Clerici*.—Clerici contra naturam incontinentes deponuntur et in monasterio detruduntur; laici excommunicantur.—Ex Constit. S. Pii V. *Horrendum*, Sacerdotes et alii Clerici, tam sæculares, quàm Regulares hoc scelus exercentes ipso facto privati sunt omni privile-

2 Idem Urb. III. Legion. Ep.  
U. Inn. III. Bonon. Ep.  
1 Alex. III. Ling. Ep.  
2 Cael. III.  
3 Idem.

1 Alex. III.  
2 Id. Cantuar. Arch.  
3 Id. Exonen. Ep.  
4 Id. in Conc. Later.

gio clericali, omnique officio, dignitate et beneficio Ecclesiastico, et degradati à Judice Ecclesiastico tradendi sunt puniendi Curiae sæculari. Et licet *ly æsercentes* importet consuetudinem, propter unum tamen actum potest, et debet deveniri ad dictam degradationem et traditionem; juxtà hoc cap. *Thes. de Pœnit. verb. Sodomia.* "

5. *Sane.*—Subditus non tenetur parere superiori aliquid exigenti vel præcipienti contra tenorem sui privilegii.

6. *Illud.*—Vicarius Ecclesiæ usurpans sibi ipsius Ecclesiæ personatum contra præstitum juramentum, ad officii sui executionem admitti non debet.

7. *Cum ad quorundam.*—Excommunicatio lata contra subditum, quia non paret contra privilegium sibi à superiore concessum, non tenet.

8. *Sicut.*—Prælati inferior citra Episcopum, non potest suam Ecclesiam, vel sibi subjectam alteri unire sine Episcopi consensu, etiam cum Metropolitanis auctoritate.

9. *Quam sit.*—Suspendi debet Clericus, qui de suo crimine publicè gloriatur.

10. *Ex litteris.*—Clericus auctoritatem vel consilium directè vel indirectè homicidio præstans fit irregularis.

11. *Inter dilectos.*—Collatio beneficii facta indigno, occulta cassari debet, et conferens secundo ante cassationem primæ collationis privari debet ea vice potestate conferendi.

12. *Accedentibus.*—Cognoscere de causa matrimoniali, item penitentias publicas et indulgentias concedere, spectat ad dignitatem Episcopalem, non ad inferiores Prælatos, nisi eis competat de jure speciali.—Concordat Trid. sess. 24. c. 20. de ref. Sed vide correctionem Elencho II. n. 165. "

13. *Dilectus.*—Ad revelandum peccatorem sive peccatum in penitentia confessum, Sacerdos compelli potest.

14. *Dilecta.*—Privati homines regulariter nequeunt constituere Collegium, et habere signa Collegii, nisi eis aliter concedatur.

15. *Gravem.*—Qui contra juramentum negat Prælatum dominum suum, vel coram judice sæculari de ipso conqueritur, vel ipsum invadit, deponi debet.

16. *Nimis.*—Ponit XV gravamina illata Religiosis, à quibus præcipit Prælatos abstinere.—In hoc et seq. cap. Regulares eximuntur à jurisdictione Episcoporum circa enumerata in utroque. In quibus autem hodie subsint eorundem jurisdictioni, vide Auctorem et Add. meas lib. III. tit. 31. post n. 313. "

5 Id. Ab. et Ep. Univ.

6 Idem Noric. Ep.

7 Clem. III.

8 Cael. III. Favent. Ep.

9 Inn. III. Arch. S. And. de Pollian.

10 Id. Viper. Ep. et Ab. de Tileto Visit. Romb.

11 Idem Arch. et Turon.

12 Idem in Conc. Later.

13 Hon. III. Petro tit. S. Pudt. Presb. Card. Vicar. Urbis.

14 Id. Praep. R. et J. Archid. Suefil.

15 Id. Ab. et S. Aub. et Camerac.

16 Greg. IX. Univ. Prael.

17. *Nimis.*—Ponit XII gravamina Prædicatorum et Minorum, à quibus præcipit Prælatos abstinere.—Et habet locum in aliis quoque Regularibus; nam prædicti sunt nominati per modum tantum exempli, ut in textu. Nota, quòd licet hic non eximantur Regulares ire processionaliter cum Episcopo ex magna causa etiam extra Civitatem, sicut neque ex Trid. sess. 25., cap. 13. de Regul., non obstantibus privilegiis ante Conc. concessis, sublatis ead. sess. cap. 22., tamen Greg. XIII. excepit eos Regulares, quorum monasteria distant à Civitate ultra medium miliare, teste Fagn. hoc eod. cap. n. 12. Vide correctionem Elencho I. n. 64. "

18. *Tanta est.*—Non servans interdictum, suspensus est ab officio et beneficio, et omni jurisdictione.

IN SEXTO.—Ibi tit. VI.

Cap. unic. *Cum ex eo.*—Mendicantes non possunt acquirere nova loca ad habitandum, vel antiqua alienare, vel mutare, absque speciali licentia Papæ, quæ de hac prohibitionem faciat mentionem: In acquirentibus tamen loca pro eremitica vita ducenda cessat prohibitio.—Vide notata infra tit. *De Pœnis* cap. *Cupientes* 3. in Clementin. et moderationem Elencho II. n. 166. "

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. VI.

Cap. unic. *Frequens.*—Providerat Greg. contra XXVII gravamina quæ Prælati Religiosis inferebant relata cap. 16. et 17. supra. Hic verò Clemens V. providet contra XXX à quibus Prælatos cessare præcipit, et per suos subditos cessare facere jubens ipsorum privilegia et jura servari.

TIT. XXXII.—DE NOVI OPERIS NUNCIATIONE.

Cap. 1. *Intelleximus.*—Etiam Ecclesia ædificata post nunciationem novi operis, destruenda est expensis constructis.

2. *Cum ex injuncto.*—Summa, ut supra.

3. *Significantibus.*—In optione est nunciantis novum opus, an intra tres menses de præjudicio suo debeat ostendere, et interim cesset ab opere; an verò recepta cautione de opere demoliendo, statim ædificare permittat.

4. *Is, cui.*—Summa ut supra.

TIT. XXXIII.—DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

Cap. 1. *Episcopalia.*—Episcopalis dignitas non debet tribui, nisi locis insignibus et populosis.

2. *Sicut.*—Non obstante privilegio fori, potest laicus malefactor Ecclesiæ per eam puniri.

17 Idem isdem.

18 Id. Arch. Braccar.

U. Bonif. VIII.

U. Clem. V. in Conc. Vien.

4 Luc. III. Paduan. Ep.

2 Inn. III. Cant. Arch.

3 Hon. III. Decan. et Ambian.

4 Greg. IX.

1 D. Leo.

2 D. Greg. Petro Subd. Camp.

3. *Cum et plantare.*—Religiosi, etiam exempti Ecclesias et decimas non debent à laicis recipere sine consensu Diœcesanorum. Excommunicati et interdicti non debent admitti ad divina, etiam per Religiosos exemptos. Religiosi etiam exempti in Ecclesiis non pertinentibus ad eos pleno jure non instituunt nec destituunt, inconsultis Episcopis; sed rationem exigunt in temporalibus ab institutis. Hospitalarii et Templarii semel in anno celebrant in Ecclesia sita in loco interdicto: ibi tamen non sepeliuntur corpora mortuorum, Confratres exemptorum seu ipsorum oblato, qui in totum non se transtulerunt, judicari possunt ab Ordinariis locorum.

4. *Dilecti.*—Suis privilegiis est privandus, qui alienis derogat.

5. *Ad hæc.*—Etiam privilegiati non possunt admitttere excommunicatos ad sepulturam; et si sepultos non ejecerint, suplebit Episcopus.

6. *Si de terra.*—Contra privilegium Ecclesiæ præscribitur spatio 30 annorum.—Hoc cap. juxtà summarium videtur correctum à cap. *Accedentibus* 15. infra, statuente non præscribi minori spatio 40 annorum: verùm Gonzalez ea conciliat, dicendo, hic agi de præscriptione privilegii favore Ecclesiæ parochialis, cui de jure communi debebantur decimæ; ibi verò de præscriptione privilegii favore Ecclesiæ, quæ de jure tantùm speciali decimas exigebat: unde eum quælibet res faciliùs redeat ad pristinum statum, argum. L. *Si unus* 27. §. *Pactus ne peteret* ff. de Pact., ideo diutiùs tempus in ea præscriptione desiderabatur, quam in præsentia.

7. *Porrd.*—De privilegiis non est judicandum, nisi eorum tenore inspecto; et secundùm continentiam eorum ab omnibus subditis sunt servanda.

8. *Recepimus.*—Per solutionem census, quæ fit Rom. Ecclesiæ, non probatur exemptio à jurisdictione Episcoporum.

9. *Sanè.*—Privilegium uni concessum, non potest ad alium extendi propter identitatem rationis.

10. *Potentibus.*—In Oratoriis privatis campanæ publicè teneri non possunt, etiam per Religiosos.

11. *Tuarum.*—Agitur:—1.º De quæstoribus eleemosynarum.—2.º Ab officio et beneficio suspenduntur celebrantes in Ecclesia polluta.—3.º Suspensi ab Episcopis per exemptos absolvi non possunt.—4.º Fratres privilegiatorum, qui ad eos se omninò non transferunt, privilegiati non sunt.—Vide Elencho II. n. 167.

12. *Cum olim.*—Contenta in instrumento perduto probari possunt per testes, qui illud perlegerunt, si deponunt de tenore, et quod erat sine vitio.

- 3 In Conc. Later. sub Alex. III.  
4 Alex. III.  
5 Id. Cantuar. Arch.  
6 Id. Ab. et Monach. S. Andr.  
7 Idem Amb. Ep.

- 8 Id. J. Apost. Sed. Leg.  
9 Idem.  
10 Cælest. III. Abulen. Ep.  
11 Innoc. III. Lund. Arch.  
12 Id. R. Ab. et Conv. S. Petri Eug.

13. *Ex parte.*—Innovatio privilegiorum novum jus non tribuit, sed antiquum conservat.

14. *Cum olim.*—Ecclesia utens duplici privilegio exemptionis, licet succumbat ex uno, potest tamen ex alio se juvare et obtinere: nec tenetur exemptus promittere obedientiam Diœcesano; vigore tamen exemptionis non potest sine ipsius licentia Ecclesiam construere in loco non exempto; et si construit, cedit juri Episcopi.—Vide correctionem Elencho II. n. 65.

15. *Accedentibus.*—Contra privilegia Ecclesiæ minori spatio 40 annorum non præscribitur.—Vide cap. *Si de terra* 6. supra.

16. *Cum Capella.*—Exemptus ratione certæ rei vel certi loci non censetur exemptus respectu alterius rei vel loci.—Vide innovationem Elencho IV. n. 25.

17. *Ex ore.*—Per exemptionem concessam monasterio, Ecclesiæ parochiales illi subjectæ non censetur exemptæ.—Quæ tamen, nisi probentur exemptæ lege diœcesana, subjectæ sunt Episcopo, licet sint monasteriorum membra, de quibus loquitur textus. Statuitur etiam, ut Abbates accedere teneantur ad Synodum diœcesanam, et concordat Trid. sess. 24. cap. 2. de ref.

18. *Ex parte.*—Receptus sub protectione Papæ, per hoc non censetur exemptus.—Circa exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione quoad Referendarios utriusque vel alterius Signaturæ, et familiares Summi Pontificis, hodie attendenda est Constit. Sixti V. *Quomodomodum* 22 Sept. 1586.

19. *Pastoralis.*—Religiosi, quibus à Papa concessum est, ut Ecclesias ei subjectas possint in proprios usus convertere, à Diœcesano loci possessionem illarum recipere debent, nisi in privilegio aliud exprimatur.

20. *Petiitis.*—Licet is, ob cujus delictum positum est interdictum, illud non servet, alii tamen servare tenentur: secus si ille non servat, in cujus favorem latum fuit.

21. *Quoniam.*—Privilegium concessum monasterio, ut ejus monachi excommunicari non possint, intelligitur de monachis existentibus in monasterio vel in Ecclesiis sibi subjectis utroque jure.

22. *Quia.*—Episcopus remittens alicui Ecclesiæ decimas Episcopales indefinitè, remississe videtur tam præteritas, quàm futuras.

23. *Antiqua.*—Ponitur ordo quatuor Patriarchalium Sedium, id est Ecclesiæ Romanæ, Constantinopolitanæ, Antiochenæ et Hierosolymitanæ. Privilegia Patriarcharum sunt:—1.º Datio Pallii.—2.º Delatio Crucis ante se, præterquam Romæ et ubicumque Pontifex

- 13 Id. Catalaun. Elect. et Ab. Trium  
Font.  
14 Id. Colubrien. Ep.  
15 Id. Ep. et Mag. G. Lemov.  
16 Id. Ep. Lingon.  
17 Id. Ab. et Fratr. Evasin. Caenob.  
18 Id. Ansonen. Ep.  
19 Id. Helien. Ep.  
20 Id. Ep. et Cap. Tripolit.  
21 Idem.  
22 Id. Arch. Lond. Abb. Sed. Leg.  
23 Idem in Conc. Later.